TOMASI
429.

PALLI

2° S. O. 1
3
VI
1

· BIBLIOTECA ·
· LVCCHESI · PALLI ·

BIBLIOTECA LUCCHESI-PALLI
IV.ª SALA O-S
SCAFFALE 11
PLUTEO IV
N.° CATENA 17

2° S. O. S. 3. VI. 1.

Digitized by Google

~~30 12~~
312

Digitized by Google

12658

IN REDITU FERDINANDI IV. SICILIARUM REGIS, ET MARIAE CAROLINAE AUSTRIACAE

IO: BAPTISTAE GRAZIOSI DRAGOLOVICH

IN FORO NEAPOLITANO

CAUSSARUM PATRONI

OFFICIUM.

BIBLIOTECA LUCCHESI PALLI
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI
MARCHESE TOMMASI

Digitized by Google

TANDEM aliquando laetissimus illè nobis dies illuxit, diu expectatus, avidissime peroptatus, precibus, votisque publicis accersitus, quo TE REX AMPLISSIME cum REGINA Coniuge incolumem, sospitemque in Regnum, in Patriam reducem vidimus, excepimus, & summo amore, ac plausu prosecuti sumus. Qua quisque voluptate perfruatur, quibus gaudiis exultet conſpicis; nam cunctorum animi, maxima qua perfunduntur laetitia, commoti efferuntur, ac gestiunt; nec quidquam prorsus est tam incultum, tam horridum, quod ad hilaritatem compositum, publicam non augeat laetitiam. Sol lucidioribus veluti radiis indutus, terra erbis, floribusque referta, itinera civium frequentia impervia, domorum parietes hilari cultu ornati, aer, ac urbis moenia festivarum vocum concordia resonantia, reditus tui diem celebrant: Ordo,

Populus trophaeis, atque delubris eleganti, ac magnifico apparatu positis huius diei, ac nominis tui memoriam ad immortalitatem consecrarunt. In tanta communi omnium laetitia nos instituti rebus optimis, quique in hominum coetu gratiis agendis, & gratulationibus habendis, & omni sermone celebramur, eloquentiam gentilem coetus nostri bonum continebimus, & maximas res in profectione tua, & reditu gestas, amplissima in nos collata beneficia, inusitatam, inauditamque clementiam, ac vestrum de cordibus nostris triumphum, hominum memoriae sempiternae non commendabimus? Hoc namque literarum cultoribus datum est obsequii, ac grati animi unicum monumentum ponere, sed & amplissimum: statuae quippe, & imagines non animorum sunt simulacra, sed corporum, virtutum vero effigiem, consiliorum gravitatem, beneficiorum pondus, ingenium, ac oratio exprimit, atque ornat. Quid vero est opere, aut manufactum quod aliquando non conficiat, & non consumet vetustas? At eorum quae a Te praeclare, & feliciter gesta sunt narratio pervulgata, vigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas ſemper tuebitur. Quod si inter tot summos oratores dicendi provinciam adgredior ego, qui neque ingenio, neque aucto-

auctoritate, forsan neque aetate sim cum iis, qui in foro sedeant, comparandus, id nihil de rerum magnitudine detrahit, nihil de tua gloria: nemo enim unquam tanta eloquentia fuit, neque tam divino, atque incredibili genere dicendi, qui tuorum magnitudinem, multitudinemque beneficiorum, quae in nos contulisti, ac P. N. studium, atque alacritatem, gloriosum sane certamen! publicam demum huius diei hilaritatem augere, aut ornare oratione possit. Qualiscumque igitur oratio haec mea nullo ingenio elaborata, nulla elegantia perpolita, nulla ornata eloquentia, ex ipsa rerum celebritate, ac tua, qua excipiendam fore confido, humanitate adeo aeternitatem sibi audet polliceri, ut quocumque perveniet, si mihi ingenium, atque eloquentiam, animum negotio non defuisse dignoscatur.

Illud sane in primis laetandum nobis esse iure video, dum liceat profectionis tuae caussas evolvere, quod susceptum iter longum, ac molestum vidimus, partim aestuosa, & pulverulenta Apuleae via, partim ratibus aequore commissis, non inani quadam circumeundi voluptatate, non tuorum invisendi desiderio, sed perpetua, ac constanti in nos voluntate, qua omnes curas, & cogitationes in rem publicam contulisti ad totius Regni dignitatem, atque decus conservandum,

& augendum, ut perpetua felicitate perfruatur. In praesenti enim pene omnium nationum, civitatum, qua iunguntur societate, quominus una aliis debet, tantum ceteris antecellit: quod non solum ad tributorum collationem, copiarum ex foedere auxilium, pecuniae debitionem referendum, sed & gratiae in ea qua utuntur beneficiorum compensatione; praeclarum quippe magis est sapientibus hominibus gloria praestare, ac decore, quam viribus, atque divitiis, prorsus spernendae, nisi ad dignitatem, amplitudinemque sustinendam nobis inserviant.

Quae cum ita sint, tantum nos Austriacae genti debebamus, quantum in Regina Coniuge spectatissima, eximium quippe munus, ac prope divinum, illa nobis donavit; in quo beneficio tanta magnitudo est, ut ingenio assequi, ac complecti oratione non possit. Quae ipsius morum innocentia, ac suavitas! quae ingenii acies, ac celeritas! quae consiliorum aequitas, ac prudentia! Quanta iustitia! quanta constantia! quanta religio! quanta in omnibus, praeterquam in beneficiis, temperantia! Beneficentia enim, qua nihil melius, & praestantius, qua ad Regnum evocati summi Numinis imaginem referunt, eius animi virtutem propriam esse quisque fatetur. Nemo unus ab eius be-

Digitized by Google

beneficentia repulsus abiit, quae occurrere quoque solet supplicibus nullius oratione evocata; in qua habent quo confugiant miseri, ubi conquiescant; in cuius suavitate omnes curas, doloresque reponant, atque in aerumnis levamen, in periculis praesidium, in egestate auxilium consequantur; cuius tot sunt exempla longe, lateque diffusa, ut magis non sinant in aspectum, lucemque proferre: omnium enim quae a Te praeclare, sapienter, clementerque gesta sunt, quid non sollicitavit officio, vel non adjuvit consilio, vel magnificentia non auxit? Eximium autem illud bonum, non cum aliis comparandum, ei acceptum refert P. N., quod clementiam nativam animi tui virtutem, ac summum in nos studium, societate fovendo, amplificavit.

Difficillimum sane erat ab huius tam praeclari beneficii pondere nos liberare; Tu vero, sapientia qua praestas, id conficere constituisti, quo beneficium tam grande rependeres maximo adiecto foenore, ac Neapolitanae gentis nomen, atque decus augeres. Mariam Theresiam, & Mariam Aloysiam filias incomparabiles, decoram Parentum speciem, ac egregiam animi praestantiam referentes, duplice donum Tibi, nobisque carum, Austriacae Domui tribuisti;

unam ab Austria, alteram ab Hetruria expetitam, eiusque Ducibus sociasti. Scimus nos, sciet Austria, Hetruria sciet earum oris venustatem pudoris rubore suffusi, morum candorem, animique ingenuitatem praeseferre; ingenium ad excogitandum acutum, ad explicandum uberem, ad memoriam firmum, a prima adhuc aetate, optimis imbutum disciplinis, iucundarum literarum decore excultum, ac sanioris philosophiae praeceptis instructum; pietatem eximiam in Deum, in Parentes, in Patriam, in subditos aspeximus, Austria, & Hetruria aspiciet. Recordamur adhuc earum obortas lacrimas, quarum memoria nulla aetate delebitur, cum flentibus nobis, veluti e Parthenopis sinu avulsae, discesserunt. O felix Austria! O felix Hetruria! quo vos amore complectent, qua benevolentia excipient, quibus, quantisque beneficiis ornabunt! quae non huius aetatis tantum curriculo continebuntur, sed omnium seculorum spatio metientur. Aspicio namque iam Regios pueros risu Parentes cognoscere, divinamque propagatam sobolem: hunc pacis studia summa ornare sapientia; illum belli gloriam terra, marique summa virtute assequi; hunc Regnum praeclaro consilio regere; illum Regni fines strenue, non terrae, sed coeli regionibus terminare: hunc opti-

Digitized by Google

optimas sancire Leges, ac patrias augere opes; illum ex devictis gentibus tributa inferre, atque obsequium, subacta illa, quam rerum humanarum dominam vocant, fortuna, cuius varietas constantiae cedit, & temeritas consilio non commiscetur, novos avitis adnumerare triumphos, novas laureas receptis addere coronis, & novo prorsus lumine, ac decore Parentum gloriam exornare. Tantarum rerum, ne posteritas quidem omnium seculorum immemor, amplissimis monumentis memoriam consecrando, dum Parentibus refert, quanta in Te, quantam in Neapolitanam gentem gloria redundabit!

At in maiorem quoque publicae utilitatis, ac gloriae spem erigi nobis datum est. Etenim in hac, ut ita dicam, beneficiorum concertatione, Imperatoria Austriaca Domus, ne duplicis huiuscemodi tam praeclari muneris onere premeretur, optimam natam Mariam Clementinam rependit, quam Franciscus Regni heres, aetate, ingenio, virtute florens, Princeps iuventutis, Populi spes, atque deliciae iam habet uxorem. Ecquis ut quae evenient laeta, gloriosaque prospiciet, oculos coniicere cupiet in fati volumen nescio quod, ubi quę fiant, futurave sint continentur, anile sane, & plenum superstitionis figmentum? Fatum enim cum

Digitized by Google

sapientibus sit ordo, seriesque caussarum, quae nobis magna, prospera, iucunda expectanda sint, non solum ante oculos nobis versantur, sed quodammodo experimur; sique nos non morimur sed in liberis, in Patria, quae numquam extinguitur, semper vivimus, quae illis meliora speranda relinquere possumus, nisi eius qua fruimur pace diuturnitatem, bonorum quibus affluimur perpetuitatem, atque, ut ea qua a Te regimur sapientia, ac iustitia gubernentur?

Intelligimus autem quantum pro laboriosis his omnibus Tibi debeamus: incredibilis namque tantarum rerum magnitudo, quae fieri sine summa difficultate non possunt, ingenii aciem in moliendo, consilii prudentiam in persequendo, in conficiendo animi constantiam requirunt. Tu vero eas non modo sapienter, ac feliciter, sed & celeriter confecisti, ut immortalis apud omnes tibi parta sit gloria. Quod si ii, qui suipsius virtutem, ac commodum cum communi omnium salute, atque utilitate sociarunt, eam assecuti sunt gloriam, quae vix coelo capi posse videatur, hanc tibi deberi, hanc adeptum esse certo scias. Cum ergo haec qua redis praeditus gloria in nos, nostrum vero decus, ac dignitas, quam auges, in Te redundent, quid mirum, si Tibi redeunti cum Regina Coniuge in-

incomparabili, tot, tantisque gaudiis P. N. Tibi, ac sibi ipsi non desinat gratulari?

Laetitia autem noſtra, non ea est, quae ficto officio, & simulata gratulatione, decentia exprimit, aut reverentia; sed ingenuus, ac iucundus ille animi motus, quo amissum ſorte bonum, diuque expetitum aspiciens, assurgit animus alacer, & quasi occurrit obvius, ut non modo vultum indicem sui ad hilaritatem componat, sed & corpus totum eo perſundat gaudio, ut exultet, ac gestiat. Sicut enim omnia desiderata magis, quam assidue percepta delectant, ita praeclaras tuas, aeque ac Coniugis Reginae erga nos voluntatis, ac benevolentiae ſignificationes, quibus quotidie nos excepistis, non tam sentiebamus cum fruebamur, quam tunc cum carebamus, & posteaquam eas nunc reddidistis; quid enim haberent voluptatis carendo magis intelleximus, quam fruendo, atque plus nunc laetitiae afferunt recuperatae, quam tunc assuetis voluptatis afferebant. Quid quod in ipsa absentia voluntatis tuae erga nos certissimum, atque amplissimum accepimus argumentum, quo neque locorum distantia imminutam, neque negotiorum magnitudine oppressam, neque rerum varietate evagatam, sed potius veluti novis admotis stimulis concitatam,

 mirum

mirum in modum excrevisse cognovimus. Ecquid vero est aliud pluribus summa clementia missis epistolis, quasi regia auctoritate posthabita, atque imperii maiestate spreta, concivis nostri, ac veri Neapolitani nomen Tibi inscribere, ingenui videlicet viri arctissimo nobis Patriae charitatis vinculo coniuncti, & nomen hunc ceteris, quibus iure ornaris, anteferre; ut ostenderes, non tam auctoritate, atque imperio, quam de tua clementia, qua animis nostris imperas, gloriari. Difficile hoc fuisset si non naturalis tibi ista bonitas esset, sed ad tempus sumpta; nemo enim personam diu ferre potest, sed ficta cito in naturam suam recidunt, quibus veritas subest; quae vero, ut ita dicam, ex solido enascuntur, tempore ipso, ac pro re nata, in maius, meliusque procedunt. Dum ergo haec nobis patefacta sunt, quibus Te revertentem laudibus efferemus, quibus studiis prosequemur, qua benevolentia complectemur? Quae sufficiens gratulatio? Quae rei congruens, nisi profusa, laetitia? Illud autem ex eo, quo omnes efferimur gaudio, atque laeto omnium clamore, & plausu, quo a cuncto P. N. desideratum, accersitum, revocatum agnoscis Tibi pergratum, perqueiucundum intelligas: quod nemo unus homo uni homini, quam Tu P. N., tam carus, unquam fuit,

Qua

Digitized by Google

Qua de re non modo Tibi ; sed & nobis metipsis gratulamur, dum Regem amantissimum, Patrem Patriae revertentem recipimus, eo vel maxime, quod omnibus, quorum hucusque Regiones lustrasti, virtutum tuarum, ac eximiae humanitatis tuae in nos, iucundum, atque admirabile spectaculum exibuisti. Natura namque omnes homines genuit, & conformavit, ut quemadmodum felicitatem appetant, eamque in eo reponant, quo ceteris antecellunt, ita nisi aliorum opinione praestantes habeantur, eam assequi posse desperant. Ex quo fit, quod, etsi virtus ex se, non ex communi hominum opinione constet; attamen trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maxime gloria ducitur; ut qui aliquam praestantiam virtutis, ingenii, fortunae assecuti sunt, tunc magno aestimandam putent, cum fortes, divites, sapientes ab aliis dici, ac praedicari sentiant; neque in ea adipiscenda aliam mercedem laborum suorum desiderent, praeter hanc laudis, & gloriae. Eras quippe Rex Optime celebritate famae, etiam absentibus, notus; atque illa, quae de tuis virtutibus fama percrebuerat, magnam eras ubique laudem consecutus ; at in hoc itinere expectationem tui, quam concitaveras, non deceptam, non aequatam, sed superatam quoque fuisse

prae-

Digitized by Google

praesentia cognovimus. Omnes quorum peragrasti Provincias virtutum tuarum celebritate perculsi, ignoti praedicatione delectabantur, praesentem spectaculum speciosissimum obstupefacti demirati sunt. Tuum in percipiendo ingenium, in cognoscendo sapientia, in decernendo iustitia, in agendo constantia, in promissis fides, in Deum religio, in maxima fortuna temperantia, commemoranda quaedam, ac prope divina in beneficiis eluxit liberalitas. Morum candorem, animi ingenuitatem, atque virtutem, illum prae ceteris quo nos, non quasi dicam fato, sed animorum destinatione subditos prosequeris amorem, atque clementiam, maiestatem denique comitati, gravitatem facilitati, miro prorsus foedere, sociatam exibuisti; ita ut qui noverint, obiectarum rerum claritate, ac pulcritudine, quodam quasi impetu rapti, exclamarint: O fortunati cives qui tanti Regis imperio reguntur! Igitur quae sors est nostra, qui tanto Rege digni sumus, usque adhuc hominum tantummodo famae, ac sermonibus commendata, nec satis nota, nimis nunc tui evulgata praesentia semper feretur, & praedicabitur, atque eo nos feliciores, quod tales apud omnes habeamur. Absens igitur quoque maximis nos complexus ex beneficiis, Solem imitatus, qui sive oriens,

sive

Digitized by Google

sive occidens, sive iucundae lucis radios emittat, sive aere in nubem concreto, humoremque colligens hilarem vultum obtegat, terram, nunc calore tepefacit, nunc rore rigat, nunc auget imbribus, ut ei flores, fructus, fruges, quaeque omnia terra, marique gignuntur, procreantur, referantur accepta.

Quod si apud omnes qui virtutum tuarum pulcritudine, ac summae humanitatis voluptate delectati sunt, maximum desiderium tui reliquisti, quod iam discessurus ex illorum omnium non modo vocibus, sed & lacrimis sentire potuisti; cumque te iam ex Austria Neapolim versus profectum esse constaret, ab Austria usque ad Neapolim agmen perpetuum tantarum gentium vidisti; quid mirum si nos tot, tantisque imperii, obsequii, benevolentiae, ac beneficiorum vinculis devincti tanto afficiamur gaudio, dum Patriae reddito, diuturni desiderii nostri expectationem exples, laetitiamque restituis?

Exiguum fortasse est, atque impar maximae communis huius laetitiae argumentum, triumphales portae ubique locorum erectae, eleganti cultu exstructa delubra, apparati currus, hilariter personati cives, festiva poetarum carmina: at magnificentissimus ille motus, civitatumque concursus, omnes societates,

omnes

Digitized by Google

omnes ordines, omnes qui aut re, aut spe denique sunt boni, una vox omnium, quae Tibi gratulatur, & Patriae, quae maxima extollit beneficia, atque ornare laudibus certat, quae multo clamore, ac plausu exultat, ac gestit, iustissimum, ac iucundissimum, optimoque Rege dignum, tibi triumphum decernit.

Civium alii Romam usque petunt, alii Campanum agrum, ut dierum, ac fere horarum moram antevertant, Teque sospitem cum Regina Coniuge redeuntem aspiciant. Non aetas quemquam, non valetudo, non sexus retardat, quominus oculos iucundo impleat spectaculo. Oppletas cernis undique vias, angustumque tramitem relictum tibi, alacrem hunc, atque inde populum, referta tecta, & laborantia, ac ne eum quidem vacantem locum, qui nonnisi suspectum, atque instabile vestigium capit. Testis ipse es quae in ore omnium laetitia, resultantia audis vocibus tecta, dum Te parentum, liberorum, senum, puerorum, infantium quoque clamor excipit. Qui amoris ardor, qui stimuli, quae faces has exclamationes subiiciant, non nostri ingenii, sed tuae virtutis, tuorumque meritorum voces esse, quas nulla unquam adulatio invenit, nulla expressit necessitas dum percipis, os tuum lacrimis, ac multo pudore suffunditur; agnoscis

Digitized by Google

scis enim, ac sentis TIBI dici, non REGI. Confugit in sinum tuum tota Civitas, ubi veluti in parentis sinu se recipiat, ac libentissime conquiescat, atque amplexare pedes, manibusque oscula figere non expletur.

Confer nunc adventum hunc tuum dum civium desideria, & charitas Patriae te revocant cum illorum Imperatorum victoria, qui captis urbibus, gentibusque devictis triumphum agere consueverunt. Illi exitio gentium clari, non minores fuere pestes mortalium, quam inundatio, quam conflagratio. TU Regni bono natus incomparabili clementia, ac prope divina subditarum gentium numen existis. Illi æffrenata, atque insatiabili funestae laudis cupiditate agebantur: TU benefaciendi miro desiderio affectus, dum laudem respuis, solidam, illustrioremque, quae ex recte factis exurgit, gloriam adipiscis. Tristis furor illos aliena devastandi potius, quam sua tuendi in dissitas transvexit provincias, ut liberis, ac saepe innocuis nationibus illato iugo, opum, rerum, personarum imperio potirentur. Ingenuus nostri amor usque ubi Danubius ripas gelu iungit TE perduxit, ut eorum quibus praees commodis, utilitatique servires. Illi prostratis per vim urbium maeniis, stratisque ad humum turribus, quod, renuentium adhuc cervicibus, servile

vile imposuissent iugum, triumpharunt. Tu novis, atque incomprehensibilibus benevolentiae signis, dum nos amplissimis auges beneficiis, de cordibus nostris triumphas. Illis, si quae immanioribus belluis debetur laus, reservata est. Tibi, cuius beneficentia proxime ad Dei numen accedit, simillima fere, & cuius nulla maior, apud omnes parta est gloria.

Neque vero triumphalis illa pompa, qua inani fastu decorati, ac ipsa victoria ferociores facti incedere illi consueverunt, est cum ea, qua tuus hic triumphus ornatur, comparanda. Praeibant ibi simulacra captarum urbium, fortia facinora peplo effincta, catapultae, balistaeque, & alia omnia instrumenta belli lata, regiae opulentiae detracta ornamenta, argenti aerisque fabrefacta vasa, & alia suppellex, preciosaque vestis, aliaque nobilia signa, quibus devictae urbes ornatae fuerunt. Praeibant captivi nobiles, si qui bello capti insignes forent, circumdata, in servitii notam, colla catenis, dum pone curru quadriiugo albentibus equis coronatus victor vehebatur, & victrices legiones cum iocorum lascivia, ac carmine triumphali canentes sequebantur. At quid ſibi habebat ille currus? Quid vincti ante currum duces? Quid simulacra oppidorum? Quid argentum? Quid aurum? Quid trium-

Digitized by Google

triumphale carmen? Quanta ex his insolentia, quanta immanitas, quanta reſultat audacia! Si enim ad ſocietatem, communitatemque generis humani nati ſumus, ac omnes aequali foedere iungimur, qui erit homini indignior, quam de alterius bonorum amiſſione, iurium direptione, ac hominum nece triumphus? Everſarum urbium miſerrimae immagines, commiſſae iam ſaevae pugnae, ac profligatorum hoſtium caedis picta deſcriptio, opimae ſpoliae, non hoſtium modo, ſed & civium adhuc rorantes ſanguine, pallidi, ac triſtes captivorum vultus, atque ad humum demiſſi oculi, quam niſi feram voluptatem afferre poterant, quam niſi truculentam parare laetitiam. Captivorum luctus, ac lacrumae, mærenteſque viduarum voces, & filiorum quibus occiſum, ac numquam reverſurum virum, parentem quærunt, obſtrepentibus militum clamoribus miſcebantur.

At triumphum hunc tuum, quem ampliſſimum Tibi tua ipſa virtus, ac publicus civium omnium amor Tibi decernit, nulla turbat maeſtitia, nullus eô dolor commiſcetur; pulcra, iucunda, praeclara ſunt omnia, quae ſolidam Tibi parant gloriam, nobis ingenuam undique referunt laetitiam. Prava quippe, & inſcia verae maieſtatis ambitio antiquos ſibi efforma-

vit

vit triumphos; tuum illa, qua nihil dulcius hominum generi a natura datum est, nihil gloriosius, peperit beneficentia. Non Tu altiori veheris curru, sed sapientia, ac humanitate, plusquam imperio praestas: nullum Tibi ornamentum, nisi illud quo principis fastigio dignius, pulcriusque aliud non est, corona ob Cives dilectos: non hostium corpora ante currum devincta, sed civium corda traducuntur: non hostilibus armis, non detractis spoliis obruuntur currus, sed laetantibus Civibus; haec namque tui triumphi opima sunt spolia: non meditata nos attulimus carmina, sed adclamationes, quae fingendi tempus non habent, iisque vocibus quas amor ingessit, & gaudium Te cum Regina incomparabili revertentem excepimus; multa quippe fecimus sponte, haec instinctu quodam, & imperio; nam gaudio quoque cogendi vis inest. Quis ergo currus, quae laurea cum laudatione hac tua conferri potest? Cum enim Te tua virtus, ac civium pietas extollit, perpetua illa tibi exurgit fama, quae in finem manet, quae non immaginibus, aut statuis, sed virtute, & meritis prorogatur, nomenque tuum non lignis, aut saxis, sed monumentis aeternae laudis inciditur.

Perge

Digitized by Google

Perge igitur quo coepisti Rex amplissime, nosque in posterum pari amore, ac benevolentia prosequere; quantum namque utilitatis commodis nostris addes, tantum splendoris, atque amplitudinis addere tuae laudi, & gloriae certo scias. Tui in nos amorem quibuscumque nos poterimus rebus augebimus, ac tantorum beneficiorum memoriam colamus benevolentia sempiterna, non solum dum huius vitae luce fruemur, sed etiam cum mortuis monumenta tuorum in nos beneficiorum permanebunt. Idque tibi repromittimus, semperque praestabimus, nobis, neque in periculis a Te propulsandis animum, neque in colendo obsequium, neque in parendo fidem, neque in famulando constantiam, neque in tua dignitate, atque imperio augendis, gratam animi benevolentiam defuturam.

Quapropter Te D. O. M. bonorum omnium fons, atque origo, Teque Summi Servatoris Parens Regina, & Te custos Urbis Januari; qui semper P.N. adiutor extitisti precor, ac quaeso; vosque omnes, qui huic Urbi, ac Civitati praesidetis, quorum templa, crebro precantes adivimus, ut sospites, incolumesque Regem, Reginam Patriae delicias nobis redderetis, vos obtestor, ut quos laetantes excepimus Patrem beneficentissimum Patriae servetis; Reginam virtutibus,

Digitized by Google

bus, clementia incomparabilem tueamini; Franciscum Principem iuventutis, uxoremque suam aetate, ingenio, virtutibus florescentes, omnemque regiam sobolem alatis, foveatis. Non vos distringor votis: non enim pacem, non concordiam, non securitatem, non opes oro, non honores; simplex, iunctaque ista complexum totius Populi votum est, Salus Principum; nihil autem nobis aliud in posterum exoptandum erit, si tanto, ac tam praeclaro muneri perpetuitatem addatis.

REGISTRATO.
12658

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA LU
I V. S
1
II